

SECTIO XXXIII.

DE

A D I P E.

§. 481.

Humorum secretorum (quorum succin-
ctam tantum synopsis superiore capite
iunctim exhibuimus), singulorum plero-
rumque vberior notitia passim suis locis
iam data est, aliorum infra prout occasio
feret adhuc mentio agetur. Biga saltem
restat eorum, quae vix aptiorem locum
inueniet, de ipsis differendi, quam hunc
in quem iam functionibus naturalibus
hactenus absolutis delati sumus. Et qui-
dem alter istorum, adeps nempe, ad *in-*
quilinos (§. 4.) pertinet; alter, scil. vrina,
ad *excrementitios*. De utroque ergo seorsim.

§. 482.

Etenim *adeps* a) oleosus succus est, in
vniuersum vnguinosus vegetabilium oleis
haud

a) Gu. XAV. JANSEN *pinguedinis animalis consideratio
physiologica et pathologica*. Lugd. Bat. 1784. 8.

haud abſimilis b), blandus, inodorus, levior aqua; praeter bina elementa quae ipſi cum oleis quae modo diximus, aequae ac cum cera communia ſunt, carbonaceum inquam et hydrogenium ut nunc audit; oxygenio quoque ſcatet et acido ſui generis c) quod ſebaceum vocant.

§. 483.

Ex ſanguine ſecretus et in telam mucoſam depositus guttatim eidem inhaeret, laminis huius telae tanquam ſepimentis diſviſus, ſimili fere ratione qua humor oculi quem vitreum appellant ſimilibus eiſmodi telae cellulis continetur.

Aa 3

§. 484.

b) JOACH. DIET. BRANDIS *comm.* (praemio regio ornata) *de oleor. unguiſor. natura.* Gotting. 1785. 4. pag. 13.

c) JOACH. JAC. RHODES *de ferro ſanguinis hum. aliis. que liquidis animalium.* Gotting. 1753. 4. cap. 4.

DAV. H. KNAPE (praef. SEGNERO) *de acido pinguedinis animalis.* *ibid.* 1754. 4.

LAUR. CRELL *chemiſches Journal* 1778. P. I pag. 102.

§. 484.

Verum adipis ad diuerfos corporis humani partes varia quoque relatio est.

Sunt enim primo loco partes corporis, quarum tela mucosa etsi molliſſima et tenerima, nunquam tamen in homine ſano adipe repletur, qualis ea eſt quae palpebris interiacet, et virili virgae ſubſtrata &c.

Porro autem innumeris per corpus locis inconstans adeps diffuſus eſt, maxime in panniculo adiposo, muſculorum interſitiis &c.

Denique autem quibusdam in locis perpetuus et ni fallor certis et definitis loculis incluſus eſt adeps, ſtatutis et ſingularibus vſibus inferuiens, quo v. c. illud referrem ſeuum quod baſi cordis quaſi inſuſum eſt *d*); tum et eum adipem qui

d) Facile hinc intelligitur quantis exceptionibus obnoxium ſit cl. FOURCROY decretum, quando adipem materiem vocat oleoſam, formatam ad ex-

remita-

qui montem veneris in pube feminea constituit, et qui peculiarem et circumscriptam glebam formare mihi visus est *e*).

§. 485.

Diuerfis in locis varia eius est consistencia. Fluidior v. c. qui orbitae inhaeret; durior e contrario et ad seui similitudinem accedens, qui renibus adiacet.

§. 486.

Sero in fetu subnascitur, ita vt vix ante quintum post conceptionem mensem certa eius vestigia in eo dignoscere liceat.

§. 487.

De ipsa vero secretionem eius disputatum est: num scil. ope peculiarium glandularum fiat, quae Gu. Huntero sententia fuit, an tantum per diapedesin ex

Aa 4 arte-

tremitates arteriarum et quam remotissime a centro motus et caloris animalis &c. v. *Ej. philosophie chimique* pag. 112.

e) Inculentius adhuc in cadauere femineo *simiae cynomolgi* reperi, cui frigori exposito circumscriptam eam adipis sub pube locati glebam, integram exglubere licuit.

arteriis transfudet? Posterior sententia praeter alia argumenta vel exinde verifimilior videtur, quod et subinde praeter naturam adeps visus fuerit in regionibus alias eo orbis: id quod simplicius ex iniqua vaforum dispositione, quam glandulis plane contra naturam nouiter exortis explicari posse videtur: ita v. c. in ipso oculi bulbo adeps aliquando repertus est; et simile seuum locum replere solet ex quo testis extirpatus est; imo vix cauum corporis est, in quo non quandoque visa fuerint steatomata.

Sed et in vniuersum glandulae quibus secretionem pinguedinis tribuere annisi sunt viri cl. haftenus ad entia rationis pertinent.

Vtut interim sit, id certe constat, tum secretionem tum resorptionem eius celeriter peragi posse.

§. 488.

Vfus adipis multifarius est.

Lubricat solida et motum adiuvat.
Nimiam sensilitatem obtundit. Frigus ar-
cet.

cet. Demum et cutem aequaliter distendendo pulcritudinem iuuat.

Vt peculiare pinguedinis certis quibusdam locis destinatae vsus taceam, vt medullae ossium &c.

Secretus vero in corpore adeps ad nutritionem eius vix quicquam conferre videtur *f*).

Maiori contra probabilitatis specie se commendat nuperorum sententia, qui quoque adipem tanquam pro receptaculo superfluae nec alias facile euacuandae portio- nis elementi hydrogenii habent *g*).

f) Insecta vero exsanguia, ex adipe quo abundant, praecipuum sui nutrimentum haurire probabilis sane coniectura est P. LYONET, *Tr. anat. de la Chenille qui ronge le bois de Saule*. pag. 428. 433 sq. et praef. pag. XIII.

g) v. FOURCROY l. c.